



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilium Wintoniense, In Qvo Per Legatum Sedis Apostolicae a latere  
missum Stigandus Cantuariensis ecclesiae inuasor deponitur anno Domini  
MLXX. tempore Alexandri papae II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

& vita innocentia admodum reuerendus) mandata exposuit Romani pontificis, pessimam rem, & a nomine Christiano, nedum ab regio, multum abhorrentem esse, quam molitur. Si minus humanis legibus vel Canonum sanctionibus terreretur, parceret saltem fama & existimationi propriae, ne scilicet tam fœdi exempli venenum, ab rege sumpto initio, totum commacularet populum Christianum; & qui ultor esse debuisset criminum, ipse auctor & signifer fieret ad flagitium. Postremo si non slecteretur consiliis, se necessario vim ecclesiasticam adhibiturum, & Canonum lege seclus prohibiturum. Ad hæc suis manibus nunquam imperatorem consecrandum fore, qui tam pestilenti exemplo, quantum in se esset, fidem Christianam prodidisset.

Tum vero in eum coorti omnes qui aderant principes aiebant, equa censere Romanum pontificem, & per Deum rogabant, ne crimen inferret gloriae suae, & regii nominis maiestatem tam turpis facti collusione macularet; preterea ne parentibus regina causam defectionis, & iustam turbanda reipublicae occasionem daret: qui si viri essent, cum armis & opibus plurimum possent; tantam filiae suae contumeliam procul dubio insigni aliquo facinore expiaturi essent. Hac ratione fractus magis quam inflexus; Si id, inquit, fixum, obstinatumque est vobis, imperabo egomet mihi, feramque ut potero onus quod deponere non valeo. Ita efferato magis per studium concordiae odio, annuit quidem, ut in regni consortium regina reuocaretur; ipse tamen, ut congressum eius conspectumque vitaret, adhibitis sibi vix quadraginta militibus, in Saxoniæ concitus rediit. Regina cum cetera multitudine & regni insignibus paulatim subsecuta est. Cumque ad eum Goslarium venisset, vix compulsus ille a familiaribus suis, ut ei obuiam procederet, satis superque pro consuetudine eam benigne suscepit. Sed protinus refrigescente amore, ad ingenium suum atque ad pristinum rigorem animi rediit. Et quia consilia sciendendi coniugii sepe iam tentata non procefferant, statuit deinceps, communicato cum ea solum regni nomine, sic eam habere quasi non haberet. Hæc Lambertus. Constat post hæc tandem reginam conciliatam regi ex eodem suscepisse filium Henricum, qui ipsi successit in regno.



**CONCILIVM VVINTONIENSE,**  
IN QVO PER LEGATVM SEDIS APOSTOLICÆ  
a latere missum Stigandus Cantuariensis ecclesie in-  
uasor deponitur anno Domini MLXX. tempore Ale-  
xandri papæ II.

ANNO  
CHRISTI  
1070.

NOTA.

Acta Con-  
cili. in suis annalibus hæc ait: Eodem anno, millesimo scilicet atque septua-  
gesimo, Concilium magnum in octauis pasche Vvintonia celebratum est,  
iubente & presente rege Vvilielmo, Alexandro papa consentiente, & per



ANNO  
CHRISTI  
1070.

suos legatos *Hermenfredum Sedunensem episcopum, & presbyteros Ioannem & Petrum cardinales sedis apostolica, suam auctoritatem exhibente.* In quo Concilio *Stigandus Dorobernia archiepiscopus degradatur tribus de causis, scilicet quod episcopatum Vvintoniensem cum archiepiscopatu iniuste possidebat: & quod viuentem Roberto archiepiscopo, non solum archiepiscopatum sumpsit, sed etiam eius pallio, quod Cantuarie remansit, dum vi & iniuste ab Anglia pulsus est, in Missarum celebratione aliquamdiu usus est: & a Benedicto, quem sancta Romana ecclesia excommunicauit, eo quod pecunia sedem apostolicam inuasit, pallium accepit. Frater quoque eius Agelmarius Estanglorum episcopus est degradatus. Abbates etiam nonnulli ibi degradati sunt, operam dante rege, ut quamplures ex Anglis suis honoribus priuarentur, in quorum loco sua gentis personas subrogaret, ob confirmationem scilicet sui, quod nouiter acquisierat, regni. Hinc & nonnullos tam episcopos quam abbates, quos nulla euidenti causa nec Concilia nec leges seculi damnabant suis honoribus priuauit, & usque ad finem vite custodia mancipatos detinuit, suspicione, ut diximus, tantum inductus noui regni. In hoc itaque Concilio dum ceteri trepidi, utpote regis agnoscentes animum, ne suis dignitatibus priuarentur, timerent, venerandus vir *Vvlfstanus Vvigorniensis episcopus possessiones quamplures sui episcopatus ab Aldredo archiepiscopo (dum a Vvigorniensi ecclesia ad Eboracensem transferretur) sua potentia retentas, qua tunc eo defuncto in potestatem regiam deuenerant, constanter proclamabat, expectabatque iustitiam fieri tam ab ipsis qui Concilio praerant, quam a rege flagitabat. At Eboracensis ecclesia non habens pastorem, qui pro ea loqueretur, muta erat. Iudicatum est igitur ut ipsa querela sic remaneret, quousque archiepiscopo ibi constituto, qui ecclesiam defenderet, dum esset qui eius querela responderet, ex obiectis & responsis posset euidentius ac iustius iudicium fieri. Sicque tunc ea querela ad tempus remansit.* Hic finis Vvintoniensis Synodi.*

\*reliques-  
runt

Postquam cardinales legati ab Anglia discesserunt Romam reuerfuri, \* relinquentes illic *Hermenfredum episcopum Sedunensem, qui paulo post, aliis urgentibus causis, aliam Synodum habuit, de qua dicere sic pergit auctor: Die autem pentecostes rex apud Vvindschoram venerando Baiocensi canonico Thoma Eboracensis ecclesie archiepiscopatum, & Valcelino capellano suo Vvintoniensis ecclesie praesulatum dedit. Cuius iussu mox in crastino predictus Sedunensis episcopus Hermenfredus Synodum tenuit, Ioanne & Petro cardinalibus praefatis Romam reuerfis. In qua Synodo Agelricus Suthsaxonum pontifex non canonicè degradabatur, quem rex sine culpa mox apud Mearlesberge in custodiam posuit: abbates etiam quamplures sunt depositi, quibus depositis, rex suis capellanis Alfracto orientalium Anglorum praesulatum, & Stigando Suthsaxonum dedit episcopatum; nonnullis etiam Northmannicis monachis abbatias dedit.*